



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LVII. Cur Christus Dominus in erecta cruce, cœlum inter & terram medius pendere, & mori voluerit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)


Cur Crucifixo facies velata?

cuius in conspectu infinitæ multitudinis pendet in patibulo, & quidem velato capite: *Velaverunt eum.* Luc. 22. 63.

O Domine JESU! ô Amor crucifixe! cum bona veniã tua accedo ad te, imò prostratus in terra, ambobus pedibus adrepto ad te ego peccatorum miserrimus, ut divinam faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere, per transfennam tantùm aperiã, & confiderem: *Ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Psal. 79. 4.

Ah quid video remoto hoc velamine? ah quid video? Hæccinè est illa facies, quam discipuli in monte Thaboræ, ut solem radiantem conspiciati sunt: *Resplenduit facies ejus sicut sol?* Hæccinè est illa facies, quam quondam Moyse videre tantoperè desideravit: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam?* Hæccinè est illa facies, quam Reges ac Principes: Patriarchæ & Prophetæ volebant videre, & non poterant: *Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ & justii cupierunt videre qua videris, & non potuerunt, & audire qua auditis, & non audierunt.* Hæccine inquam, est illa facies? Heu, heu, heu! quàm sordidis nunc inquinata est sputis, quàm duris onerata colaphis, quàm cruentis redimita spinis? Oculi natant in sanguine, ita dolorosissima Virgo & Mater: *Filius meus cum duceretur quasi latro, extersit sanguinem ab oculis suis.* O afflictißima Virgo! habes nunc Filium tuum non ampliùs capite velatum, sed publicè in cruce omnibus tormentis expositum. O Revel. S. Birg. lib. 2. c. 10.

Domina! ne avertas faciem tuam à nobis, sed impetra nobis gratiam &c.



CONSIDERATIO LVII.

Cur Christus Dominus in erecta cruce, cœlum inter & terram medius mori voluerit?

Erit vita tua quasi pendens ante te. Deut. 28. 66.

1.

Hunc Scripturæ textum: *Erit vita tua quasi pendens ante te*, explicant SS. Patres de Christo JESU crucifixo, erat enim Christus ante oculos Judæorum quasi vita pendens in cruce, ita S. Leo serm. 8. de passione. *Quasi dicat: Christus est vita tua, ô Judæ, qui à te visus*

visus est pendens in cruce, & tamen tu illi non credidisti; & antiquissimus Tertullianus: Erit vita tua pendens in ligno ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ, quæ semper in periculo posita est, proinde vera vita animæ nostræ est Christus JESUS & hic crucifixus.

Israëlitis quondam in deserto à venenatis serpentibus vulneratis vita fuit serpens ille æneus in mediis illorum castris jussu Dei in oblonga cruce erectus, quem cum percussi aspicerent, sanabantur. Observa: Serpens ille Christi crucifixi pulcherrima & expressa figura fuit, qui de se ipso ait: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis* Serpentem illum æneum à Moysè erectum Israëlitæ sani & infirmi de longè poterant contemplari, ex cujus intuitu vitam conservabant incolumem; Christus in erecta cruce pendens, factus est nobis in salutem; hinc S. Augustinus: *Fratres ut à peccatis sanemur, Christum crucifixum intueamur, quomodo qui intuebantur serpentem æneum in deserto, non peribant morsibus serpentum*, neque tu peribis, si amator fueris crucifixi JESU, unde S. Leo: *Sicut à reatu nullum liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit*. Fac conclusionem: Ergo etiam pro me.

2. Quæsit olim DEUS & misericordiarum Pater, ad parcendum nobis semper propensus, virum justum, qui mediatorem inter Deum & homines ageret, ac precibus suis iratum Numen placaret: *Quæsi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ut dissiparem eam, & non inveni*. Et quid sequitur? ô tremendum fulmen! quia mensura peccatorum erat jam tunc temporis intervallo completa, dixit DEUS: *Effudi super eos indignationem meam, in igne ira mea consumpsi eos*. Ô nos felices, & DEO sint laudes infinitæ atque immensæ, vir ille justus, & justissimus justorum inventus est, qui justitiæ divinx, ne dissiparet terram, interposuit sepem, & quid dico? qui etiam nunc hodie in cælo interponit sepem, quia advocatus noster & Mediator apud Patrem factus est. Anime mi, vis videre hunc virum justum? Ecce crucem Domini, & in ea pendentem Dei Filium, de quo Paulus: *Quem proposuit DEUS propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ*. Observa: Justitia debet omnibus innocescere, cum ad exemplum & communem satisfactionem exerceatur; ideo Pater æternus voluit, ut Filius sibi unice dilectus in erecta cruce publice, licet innocentissimus, coram tot millenis spectatoribus pro salute omnium moreretur, ut nullus calumniari posset non fuisse divinx justitiæ de condigno satisfactum. O amor, ô amor! iterum dico ô Crucifixe JESU: *Verè qui te non amat, anathema sit*.

3. Voluit autem Dei Filius in alta & erecta cruce cælum inter & terram pendere medius. Audi rationem à S. Paulo: *Pacificans per sanguinem*

guinem crucis, sive qua in terris, sive qua in caelis sunt. En medium locum reconciliationis nostrae, quem Dei Filius inter caelum & terram legit. Et in alio loco: *Omnia in Christo instaurantur, qua in caelis, & qua in terra sunt*, Ephes. 1. 10. in cruce enim Christus restauravit sedes gloriae, & numerum Angelorum lapsum, ad implendum illud Davidis: *Implebit ruinas; & in terra* Psal. 109. 6. restauravit, quod ab Angelis lapsum est, ut ab hominibus redderetur; unde subjungit Apostolus, & animum nobis addit: *Ergo non estis hospites & advena, sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei*, quia per Christum & hunc crucifixum Deo Patri reconciliati estis.

Voluit insuper Christus mori in aëre. Aër est commune omnibus elementum, ita aërem nuncupavit Sapiens: *Natus accipi communem aërem*. De aqua dici potest: hæc aqua mea est; de terra: hæc est terra mea; de igne: hic est ignis meus; similem tamen sermonem de aëre non potes formare, quia omnibus est communissimus: Voluit itaque mitissimus Jesus ostendere, se communem esse in cruce omnium Redemptorem.

4. Respiciebat autem Crucifixus Dominus facie sua Occidentem; ita S. Germanus Patriarcha in Theoria Rer. Eccles. Christus, ait, *cruci affixus ac Occidentem erat intuens, ejus vero venerandarum manuum altera in meridiem, altera in Septentrionem erat extensa*. Et S. Joannes Damascenus: *S. Jo. Damasc. lib. 4. fidei* Cum in cruce penderet, ad Occasum prospiciebat; Et quare ad Occasum? Respondet: *Orthod. c. 13. Malach. 4. 2.* Sol justitiæ est Christus Deus noster, unde Malachiae Prophetæ prius intimatum fuit: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, & sanctas in pennis ejus*, hoc est in brachiis ejus in cruce extensis, ac pretioso sanguine in salutem nostram manantibus. Prospiciebat autem Occidentem, quod jam prius in vita fecerat; Audi Evangelistam: *Vespere autem facto, cum occidisset sol, asserabant ad eum omnes malè habentes &c.* Quos tunc in occasu solis solebat curare. S. Hieronymus per solem occidentem Christum in cruce morientem subaudit, in cruce enim moriens omnes nostros languores sanavit: *Et livore ejus sanati sumus.* Marc. 1. 32. Isa. 53. 5.

5. Alia ratio, quare Christus patiens, & moriens in cruce Occidentem respexerit. Cùm Jacob Patriarcha jam jam moriturus filiis suis ultimum Vale dicere, illisque extrema benevolentiae & amoris signa vellet demonstrare, eos in unum convocavit: *Congregamini filii, & audite Jacob, audite Israël Patrem vestrum.* Ita Christus Dominus, ut filios sibi congregaret, signum crucis erigi voluit: *Et elevabit signum in nationibus procul seu vexillum, quia crux, sive crucifixus est signum, sub quo Christiani congregandi erant contra acies dæmonum præliaturi, caputque inclinavit ad eos, qui Occidentalem incolebant plagam; hinc S. Hieronymus: Quia dorsum suum & non faciem Judæis, & perfida Hierusalem convertit, ut* S. Hieron. in cap. 15. Isaïæ.

Günther Unus pro omnibus.

E c

ut averteret ab ea faciem suam, quod tantoperè fecerat David, dicens: *Ne avertas faciem tuam à me, ut clamantes Judæos non exaudiat, nec misereatur eis.* Econtrà ò quale solatium est nobis Christicolis, in plagis Occidentibus habitantibus, ad quos Christus moriens respexit, & sanctissimam faciem, quam tantoperè antiquæ legis Patriarchæ exoptabant, convertit.

6. Caterùm solemnissima ac publicissima fuit Christi Domini crucifixio ac mors, quia coram Deo, bonis & malis Angelis facta est; coram Deo, qui venerat ad spectandum agonem tam cruentum dilectissimi Filii sui ad illius excipiendum spiritum; Coram Angelis sanctis, qui aliàs latantes in nativitate, & ministrantes in deserto apparuerunt, sic in luctuosissimo crucis agone flentes & dolentes sese exhibuerunt, unde illud Isaïæ: *Angeli pacis amarè stebant.* Sed & Angeli mali cum Lucifero accesserunt, ut viderent finem, & Jesum in cruce observarent morientem, an reverà hic esset Salvator mundi, hinc illud Veritatis: *Venit princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.* Ecce non casu, sed divino consilio factum est, ut Dei Filius ac Dominus noster JESUS Christus publicè in cruce moreretur.

Accedit, quòd & amantissima Parens steterit juxta crucem moriens ac dolens, quæ plus cæteris suis doloribus, velut sagittis acutissimis, feriebat, ac dolore dilaniabat amore sauciatus Filii sui cor, unde verè illi dicere poterat: *Vulnerasti cor meum Soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* Supra quòd S. Bernhardus: *Quia plus doluit de Matre quàm de se, nam multò acerbius ex Matris compassione doluit, quàm ex sua ipsius passione.* Hic experta est afflictiissima Mater, quàm verum fuerit illud Simeonis vaticinium: *Positus est in signum cui contradicetur.* Mitto turbam planè ingentem ad hoc insolitum spectaculum concurrentem, in qua fuerunt & ipsi Principes ac Magistratus templi & Seniores, non enim solis gentilibus Hebræi consili erant. Tantus erat ardor ac desiderium perdendi Christum.

7. Consideremus denique S. Athanasium, cur Christus in aère elevatus spiritum emittere voluerit. Jam sanctificaverat Dominus terram pedibus suis illam calcando: Sanctificaverat aquam, dum Jordanem ingressus est, ut illius aqua baptizaretur. Postea ignem sanctificaturus, dum Spiritum Sanctum in specie ignis misit; solum restabat, ut aèrem sanctificaret, ideo voluit in eo elevari ac mori: Dominus, inquit, *ut diabolum precipitaret, aèremque purificaret, & viam ad cælum nobis munit, quàm alià morte istud fieri poterat, nisi eà, quàm in aère toleraret? De cruce est, quod loquor; solus enim ille in aère moritur, qui in cruce vitam finit; quare non sine ratione eam Dominus sustinuit, ita enim sublimatus aèrem purgavit ab omni diabolica infestatione.*

CON-

Ma. 33. 2.

Jo. 14. 30.

Cant. 4. 5.
S. Bernhard.
hic.

Luc. 2. 34.

S. Athanas.
lib. de in-
carnat.